TRISCAMERARIVS
SAC. ROM. IMP.
E
DIPLOMATIBVS RESTITVTVS.
EIVS
OFFICII IN AVLIS VETERVM
GERMANIAE REGVM AC IMPERATORVM
NOBILISSIMI PRISTINA INDOLES
ET
TITVLI EXINDE IN HVNC VSQVE DIEM
RELIQVI DIGNITAS
ILLVSTRATA.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

ACCEDVNT
DIPLOMATA NONNVLLA
AC PROOEMII LOCO
NOTITIA SCRIPTORVM
DE OFFICIIS S. R. I. AVLICIS

AVCTORE
HENRICO GOTTLIEB FRANCKE
A. M. ET I. V. LDO.

LIPSIAE
EX OFFICINA LANGENHEMIANA.
CIƆ IƆCC XXXVI.

Digitized by Google

Digitized by Google

PROOEMIVM.

QVum in praeſenti nouum aliquod, nec ignobile, officium aulicum priſtinorum Germaniae regum ac imperatorum e ſua, obſcura quidem, qua huc vsque latuit, antiquitate, in ſcenam producere animus ſit; non incongruum fore iudicauimus ipſi diſquiſitioni praemittere, quos nouimus Scriptores, qui et generatim Archiofficiorum, Officiorumque aulicorum in S. R. I. origines ac rationes explicarunt, et qui de vno alteroue ſpeciatim egerunt. Neque vero eorum peruerſum imitabimur morem, qui, quo paginas ingenti ſcriptorum numero replere valeant, omnes vndiquaque corradere ſolent auctores, argumento ſuo quamuis diſſimillimos.

 Nulli

Digitized by Google

Nulli potius hic, niſi qui data, vt aiunt, opera hanc doctrinam perſecuti ſunt, excitabuntur. Omnium, quantum quidem nobis conſtat, primum, ſi tempus ſpectamus, ſibi vindicat locum: *Velitatio de Septem S. R. I. Officialibus, in qua de Electoribus Imperii Germanici fundamentum breuiter ac dilucide demonſtratur. Autore* AEMILIO CHREGGRENE a) 1623. 4. 7 pl. Ieiuna ſatis eſt haec *Velitatio* et multis inutilibus digreſſionibus, veluti quod foeminae officiorum, potiſſimum aulicorum S. R. I., non ſint capaces, referta, nec vllo idoneo ſuperſtructa fundamento. Hanc excipit, vt ordinem ſequamur temporis, *Commentatio de S. R. I. ſummis Officialibus et eorundem Subofficialibus Praeſide* IO. CHRISTOPH. WAGENSEILIO in Academia Altorfina a CAROLO GVILIELMO WELSER A NEVNHOF *1686* habita et *eodem Anno Francof. et Lipſ.* iterum publici iuris facta *in 4to 1 Alph. 16 pl.* Maiori cum cura, vt caetera fere omnia Cel. WAGENSEILII ſcripta, elaborata, ſed, ad origines quod attinet officiorum aulicorum S. R. I., non ſufficere videtur, licet multis praerogatiuis, et in his raritate potiſſimum, quam maxime ſe commendare ſoleat. Sequitur WILH. LVD.

HOENO-

a) Sub hoc nomine latere MICHAEL. GERINGERVM, affirmat Celeb. BVRC. GOTTH. STRVV. *in Bibliotheca Iuris Selecta*, (edit. 720.) pag. 799.

HOENONII *Diſſertatio inauguralis de Archi- et Haereditariis Officiis S. R. I. eorumque Iuribus, Gieſſae 1701. 4to 8 pl.* Haec diſſertatio non niſi vulgaria exhibet. Nec ea, quam nunc dabimus, maioris eſt momenti *Diſſertatio, Praeſide* HENR. ERN. KESTNER, *de Summis in Imp. Rom. Germ. Perſonis eorumque officiis et iuribus*, a IOH. ADOLPHO FÜRSTENAV *habita, Rintel. 1702. 4to 4 pl.* Succedunt *Bina Capita de Archiofficiorum S. R. I. Origine et Archi-Theſaurario, Auctore* IO. WILHELMO GOEBEL, *Hanouerae 1710. in 8uo 3½ pl. Lipſise 1735. 4to 5 pl.* Nec non *Diſſertatio I. P. de Originibus Officiorum Aulicorum S. R. I.* a IOH. IACOB. MASCOV exhibita, *Halae 1718. 4to 7½ pl.* quae tanto omnium, vt caetera Summi huius Viri ſcripta, eſt excepta applauſu ſaepiusque recuſa, vt mea prorſus non indigeat commendatione. Agmen eorum, qui generatim illuſtrem hance doctrinam expoſuere, claudit *Commentatio de Archiofficiis regni teutonici eorumque origine, vbi H. Cocceji ſententia, quam Cap. XII. Iur. Publ. Prudent. exhibuit, ex inſtituto diſcutitur.* Reperitur in *Appendice Succinctarum Animaduerſionum ad H. Cocceji Iuris Publici Prudentiam* FRID. LVD. NOB. DN. DE BERGER. *(Lipſ. 1724. in 8uo) Lit. D.* Nunc vero eos tangit ordo, qui vnum alterumue officiorum aulicorum ſpeciatim illuſtrarunt. Et quum Archi-

A 3 Can-

Cancellarii munus principem omnino teneat locum; primo etiam nominanda eſt *de Archi-Cancellariis ac Cancellariis imperialis aulae* egregia *Commentatio* BERNH. A MALLINKROT, quae *Monaſter.1656. Ienae 1665.1 Alph.14 pl. et Ibid.1715. cum Praefatione* BVRC. GOTTH. STRVVII *in 4to* prodiit. Extat quoque in IAC. WENCKERI *Collectis Archiui et Cancellariae iuribus* (*Argent.1715.4to*) *a pag.190-604.* b) Tanta quidem cura ac eruditionis copia conſcripta eſt haec diſquiſitio, vt ſimilem in hoc argumento nondum viderim. Deuenio nunc ad PHIL. EBERHARDI ZECHII *Schediaſma de Origine, indole fatis atque iuribus Primatum Germaniae eorumque maxime, tanquam Archi-Cancellariorum ad negotia imperii concurſu, Halae 1727. 4to 6 pl.* Inprimis huc ſpectat Caput III. quod, dum iura primatum Germaniae perſequitur, Archi-Cancellariorum rationes breuiſſime attingit. Sequitur IO. WILH. DE GOEBEL *ad Franc. Lud. Comitem de Oettingen de Capellanis Imperii et Cancellariis Diſſertatio Epiſtolica, Helmſt. 1733. 4to 5½ pl.* ad Mallinkrotium proxime accedit.

b) Plures Scriptores Cancellariae Iura illuſtrantes collegit IAC. WENCKERVS *Lib. cit.* Poſſemus quidem et nos adducere auctores, qui de Archi-Capellano regni Francici et Carolini deque Capellae iuribus egerunt, quum autem non niſi illuſtrationi argumenti, quadam ex parte, inſeruire videantur, eos ſtudio praetermiſimus.

Digitized by Google

cedit. De Auguſtae Archi-Cancellario notari merentur: HENR. GÜNTH. THVLEMARIVS *de Archi-Cancellariatu Abbatis Fuldenſis* c) apud WENCKERVM *Lib. cit. p. 123.* *Diſquiſitio de Auguſtae Imperatricis Archi-Cancellario, Praeſide* IOH. WILH. WALDSCHMIDT, a GEORG. FRID. DE ET IN TANN propoſita, *Marp. Cattor. 1715. 4to 8 pl.* ac *Diſcurſus Hiſtorico-Iuridicus de Archi-Cancellariatu et Primatu S. R. I. Principis Abbatis Fuldenſis, Praeſide* PHIL. ADAM VLRICH, diſceptata ab HENR. WALTHERO WILHELMO DE SCHILDECK, *Herbip. 1724. 4to c. fig. aen. 12 pl.* et rec. *Lipſ. 1733. 4to* eodem plagularum numero. Harum Diſſertationum (nam vtraque in Cathedra fuit habita) prior maiori eruditionis apparatu eſt conſcripta, poſterior autem longe accuratiorem Diplomatis Caroli IV, quo hic Archi-Cancellariatus praecipue nititur, deſcriptionem, ex archiuo vtpote Fuldenſi deſumtam, exhibet, ita vt inter vtramque magnam intercedere videas differentiam. Sed multa etiam immiſcuit auctor, quae plane huc non ſpectant, veluti pagina 41 editionis I. et 43. edit. II. quaeſtionem fuſe pertractatam, *an*

c) Non niſi Excerptis abſoluitur, quae Cl. WENCKERVS e THVLEMARII, libro: cui titulus: *Octauiratus, ſeu de S. R. I. Electoribus*, eiusque Cap. XIII. §. 47. ſeqq. in ſuum opus tranſcripſit.

an medicis corpora punitorum ad anatomiam concedenda ſint, iisque liceat pinguedine humana vti ad Medicamenta? Tandem et huc pertinet *Diſſertatio de Epiſcopo Vice-Cancellario Imperii, quam Praeſide* IVSTO HENNING. BOEHMERO, edidit FRIDER. DE SCHWARTZENFELS, *Halae 1731 4to 11 pl.* Singularem ſane haec diſquiſitio ſpirat eruditionem et ſcientiae copiam. Iſta autem, quae iam recenſuimus, ſumma imperii noſtri officia, quum ſacro ordini ſint propria; ea nunc etiam commemoranda ſunt, quae a ſaeculo nomen trahunt. Horum igitur primum celebratur, quo Bohemiae rex eſt ornatus, Archi-Pincernae munus d) de quo reperitur MELCH. GOLDASTI *Conſultatio de Officio Electoris Bohemiae in Eiusd. opere de Regno Bohemiae* (edit. HERM. SCHMINCKII *Francof. ad Moen. 1720. fol.*) *pag. 1197*, quam excipit *Diſſertatio de Archi-Pincernatu et connexione regni Bohemiae cum Imp. Rom. Germanico Praeſide* BERNH.

d) Quum BVTIGVLARII in Aula Carolingica officium idem fuerit, quod poſtea Pincernae in Germania, hoc argumentum egregie illuſtrat, quae magno eruditionis apparatu conſcripta eſt *Diſſertatio de Butigulariis praecipue iis, qui Norinbergae olim floruerunt. Praeſide* CHR. GOTTLIEB SCHWARTZIO exhibita a IOAN. HIER. BRAVN Alt. 1723. c. fig. aen. 13. pl. Prodiit et eodem anno, commentationis titulo ornata, egregia haec diſquiſitio.

Digitized by Google

BERNH. HENR. A GERMETEN, propoſita a IOAN. CHRISTOPH. IORDAN, *Pragae 1716. 4to, 1 Alph. 3 pl.* quae, etſi his in terris rarior eſt, neque tamen multa ſingularia in ea facile reperies. Commendat ſe magis, quae ſequitur ANONYMI *de Origine et Progreſſu Archi-Pincernatus Bohemici in S. Rom. Imp. ac ſummis inde deriuandis Iuribus Diſquiſitio hiſtorica, Lipſ. 1731. in 8uo, 8 pl.* De Archi-Dapifero, qui data, vt aiunt, opera egerit, eum nondum inuenire licuit. e) De Archi-Mareſchallo contra notari merentur: AVG. ADOLPH. ab HAVGWITZ *Tractatus de Regni et Aulae Mareſchallis Budiſſae 1690. 4to.* Multa ſane in vaſto hoc opere congeſta leguntur, non aeque digeſta. CONR. FRID. REINHARDI *Commentatio de Officiis*

B

e) Extat quidem CHRISTIANI GOTTLIEB WOLFFII *Tractatus Iuris Publici, continens iura Vicariatus Imperii Archidrotſato et Archimareſchallo vindicata, Gorlicii 1729. 8uo 14½ pl.* vbi pag. inprimis 44. et ſeqq., ex TOLNERI *Hiſtoria Palatina*, probare annititur, Comites Palatii in aula regum Francorum et Carolingicorum vocatos fuiſſe *Truchſeſe*, et *Dapiferum* denotare iudicem regium et Palatii Comitem. Sed quum HINCMARVS, qui tam ſollicite Oper. Tom. II. p. 206. ſeqq. ordinem palatii et curiae imperialis deſcripſit, Comitem Palatii a Seneſcalco, in cuius locum poſtea in Germania Dapiferi vocabulum ſucceſſit. (v. Ill. MASCOVII Principia Iur. Publ. p. 181). diſſerte ſeparet; aliorum iudicio relinquimus, num hic auctor multos ſuae ſententiae patronos ſit conſecuturus.

ciis Imperii Saxonicis, cum Praefatione BVRC. GOTTHELF STRVVII *Ienae 1713. 1 Alph. 1. pl.* f) Cuius Sectio II. pag. 98--150, quae de officio Archi-Mareſchalli in Imperio agit, huc pertinet, ac ſua omnino laude non eſt defraudanda. SIXT. SOMMERS Unterricht von des H. R. R. Ertz- und Erb-Marſchall-Amts Beſchaffenheit und Verrichtungen. Deprehenditur in BENED. CARPZOVII *Commentario ad Legem Regiam Germanorum, ſiue Capitulationem Imperatoriam (edit. Lipſ. 1651. 4to.) Cap. X. Sect. VI. pag. 618--636.* et edit recent. p. 256. et in CHRISTIAN LVNIGS Grund-feſte Europäiſcher Potenzen Gerechtſame, (Leipz. *1716. fol.) Tomo II. no. 45. pag. 516.* ac denique in Celeb. IOH. GEORG. ESTORS Auserleſenen kleinen Schrifften, I. Stück *No. V. p. 160.* g) Archi-Camerarium porro a nullo peculiari labore illuſtratum de-

f) Propoſita primum, ſub *Praeſidio* BVRC. GOTTH. STRVVII, *per modum Diſſertationis Academicae Ienae 1712. 4. 1. Alph. 1 pl.* Sequenti vero anno, titulo ſupra adducto, apparuit.

g) Celeb. equidem ESTOREM latuiſſe, quod iam apud LVNIGIVM quoque extaret hoc SOMMERI Scriptum; miratur *Celeb.* MOSER *in Bibliotheca ſua Iuris Publici, Tom. III. pag. 1103.* dum ibidem no. 297. p. 1102. ſeqq. argumentum *Sommeriani* laboris exponit, ſimul affirmans: ſe a Celeb. KOELERO fuiſſe admonitum vt hoc ſcriptum iterum iuris publici faceret.

deprehendimus. De Archi-Theſaurarii officio autem adeſt *Diſſertatio, Praeſide* FRIDER. HACKMANN, h) *de Germanici Imperii Archi-Theſaurario* ab HENR. ERN. LIPMANN *propoſita, Helmſtad. 1711. 4to 4 pl.* Sed nec vnquam Diſſertationem adeo ieiunam ac vilem vidiſſe nos aut legiſſe, recordamur. Quare vix dignam cenſemus, cuius memoria ſeruetur. Nunc vero et officii noſtri ratio poſtulare videtur, vt quaedam de nouo illo, tot tantisque controuerſiis obnoxio, officio aulico addamus. Quum nimirum, ſuperiori ſaeculo, Diuus Leopoldus Erneſtum Auguſtum Brunſuici et Luneburgi ducem, e domo Hanouerana, dignitate ornaret principis electoris, Archi-Vexilliferi munus ipſi ſimul conceſſit, ne vlla in parte, antiquis electoribus cedere videretur. Contradictum tamen a multis, praecipue a domo Wurtenbergica. i) Qua de cauſſa et

 nouus

h) Mira ac paene ſcenica huius HACKMANNI fata, indolemque eius, fatis ſuis quam ſimillimam, prolixe deſcripſit auctor libri, cui titulus: Leben und Thaten des Königs von Preußen *Friderici Wilhelmi*, Hamb. und Breßlau *1735. 8uo pag. 1027-1037.*

i) Noſtrum non eſt, huius controuerſiae fata exponere, et omnia, quae ideo paſſim prodiere ſcripta, recenſere, ſequentia adduxiſſe ſufficiat: Gründliche *Deduction*, daß dem Hoch Fürſtl. Hauſe Würtenberg das Reichs Panner- oder Reichs Fähndrichs-Amt, *Praedicat* und *Inſigne* ſchon von etlichen *Seculis* her rechtmäßig zuſtehe, und dahe-

nouus Elector ſua ſponte abſtinuit. Omnem itaque lapi-

daher0, ohne Kränckung, deſſelben alt hergebrachten *Praerogativ*en, keinem andern Chur- oder Fürſten erſt neuerlich verliehen werden könne, Stuttgart 1693. *fol. c. f. (auctore Celeb.* KVLPISIO) extat *et* in LÜNIGS Grundfeſte Europäiſcher Potentzen Gerechſame *Part. I. n. 70. pag. 584.* CASSANDRI THVCELII *Electis Iuris Publici (Francof. et Lipſ. 1694. 4to) pag. 152. ſeqq. et in libro, cui titulus:* Wechſel-Schrifften vom Reichs Pannier *1694. 4to c. f. p. 35. ſeq.* vbi quidem vnicuique momento reſponſio, vna cum refutatione a domo Brunſuicenſi, eſt ſubiuncta. Prodiit etiam contra illam: Kurtze *Deduction* des Reichs Haupt-Pannier und Reichs Sturm-Fahne betreffend (*auctore Celeb.* DE LEIBNITZ) et extat in LÜNIGS Grundfeſte Europäiſcher Potentzen Gerechtſame *l. c. n. 64. p. 574. et* in Wechſel-Schrifften *p. 3. ſeqq.* Huic oppoſita eſt. IOH. CHRISTOPH. WEINLAND *De Vexillo Imperii Primario, vulgo* Reichs Sturm-Fahne, *Commentatio, qua non tantum eius requiſita atque vſus, ſecundum hiſtoriam et documenta medii aeui, examinantur, ſed etiam Seren: Würtenbergiae ducibus id optimo iure competere docetur, atque ab aduerſariorum opinionibus vindicatur. 1717. 4to 8½ pl.* Scripta haec recenſet Cel. MOSER *in Bibliotheca ſua Iuris Publici, Tom. III. No. 287-89. pag. 1091-93.* Illuſtrationi etiam inſeruire poſſunt. VLR. OBRECHTI *Diſſertatio De Vexillo Imperii, Reſpondente* IOSEPH. DE LOH, *Argent. 1673. 4to 6 pl. et rec. Lipſ. 1725. 6 pl.* Inſerta porro Eiusdem Diſſertationibus ſub titulo: *Academica in vnum Volumen collecta, Argent. 1704. et 1729. 4to, No. V. p. 62—108.* IOH. MICH. WEINRICHII *Diſſertatio de Vexillis et Vexilliferis, Erfordiae 1710.*

Digitized by Google

lapidem, inprimis poſt pacem Raſtadio-Badenſem, k) mouerunt huc vſque Iuris Publici Doctores, quo officium inuenirent aulicum, Auguſtiſſima hac gente dignum. Propoſitum itaque aliquando fuit Summi ſtabulorum Magiſtri officium, quod vero Archi-Mareſchalli rationibus vtpote contrarium, ob ſecutas contradictiones, iterum fuit reiectum. Facit huc: Eines unpartheyiſchen Patriotens unvorgreiffliche Gedancken, betreffend die beym Reichs-Convent zu Regenſpurg hängige Ertz-Stall-Meiſter-Amts-Sache, da gezeiget wird, daß das Hohe Chur-Haus Sachſen dem neuen Ertz-Stall-Meiſter-Amt zu wiederſprechen Grund und Urſache habe, Franckf. und Leipz. 1719. 4to 1. pl. (auctore Celeb. AD. FRID. GLAFEY *Conſil. Reg. Pol. et Elect. Sax.*

1710. 4to, 8 pl. nec non *Diſſertatio de Vexillis et eorum in feudis vſu, nec non S. R. I. Vexilliferis, quam propoſuit* PHIL. WILH. THIMOTH. LINCKER DE LVTZENWICK, *Erfordiae 1730. 4to 10 pl.*

k) Proſcripto enim Electore Bauaro, Palatinus antiquum in Collegio Electorali locum vna cum Archi-Dapiferi munere recipiebat, Archi-Theſaurarii officium nouo Electori Hanouerano relinquens. Sed expreſſis litteris ſibi proſpexerat Palatinus, vt ſi Bauarus in integrum reſtitueretur, ipſi etiam, ſine vlla exceptione, ſuum Archi-Theſaurarii munus recipere liceret. Reſtituto ergo per pacem Raſtadio-Badenſem Electore Bauaro, Palatinus ſuo Archi-Theſaurarii titulo iterum vti cepit, Hanouerano eundem etiam adhuc gerente

Digitized by Google

Aulico.) Aliud ergo in ſcenam produxit Celeb. IOH. DAV. KOELER, ſub cuius vtpote Praeſidio, habita fuit *Diſſertatio de Imperiali ſacra Lancea non inter reliquias imperii, ſed Clinodia referenda, cum problemate, de Nouo S. R. I. officio Archi-Lanciferatu, a* WOLF. ALBERTO SPIES, *Altorf. 1731. 4to 5 pl. c. f. aen.* l) Sed quum nondum in Comitiis, quantum conſtat, vota in vnum conuenerint; tempori huius controuerſiae deciſio omnino videtur relinquenda. De Subofficialibus in S. R. I. non niſi vnica nobis ſeſe obtulit Diſſertatio, quae inſcribitur: *De Subofficialibus S. R. I.* von des H. R. R. Erb-Ambtmännern, *ſub Directorio* GEORG. AD. STRVVII, *ab* HENR. LVDOV. FREISLEBEN *habita, Ienae 1686. et rec. Vitemb. 1729. 4to 3 pl.* et mediocris omnino videtur pretii. Tractauit et ſimul idem argumentum, quem ſupra adduximus, WAGENSEILIVS. Haec, loco ieiunae ac verborum phaleris ornatae praefationis, ſufficiant. Hoc vnicum publice profitemur, nullum a nobis hic adductum fuiſſe ſcriptorem, quem non ipſi vidimus et maximam etiam partem legimus. Nihil itaque nunc reſtare videtur, niſi vt ſolemnem omnium fere auctorum morem quoque ſeruemus, et

l) Elegantiſſimae huius Diſſertationis argumentum dedimus in Actis Academicis Anni 1733. pag. 64--67 ac non nulla, ſub finem, monuimus.

et quaedam de inſtituti noſtri ratione addamus. Sed quum non magnae molis volumen, ſed quod paucis abſoluitur plagulis, in lucem emittere conſtitutum ſit, iudicio potius B.L. haec omnia cenſuimus relinquenda, quam multa proferenda, quae forſan ad rem non pertinere viderentur. Et quemadmodum non gloriae capiendae ergo, quae plurimos Scriptores incitare ſolet, hunc ſuſcepimus laborem; ita ſatis ſuperque contenti erimus, ſi L. B. inde quendam fructum perceperit quamuis tenuiſſimum. Si etiam vni alteriue nos a recto aberrantes tramite in viam reducere placuerit eo, qui his temporibus in republica litteraria receptus eſt, more, tam gratum nobis erit quam quod gratiſſimum. Inuidiae autem, et quae huic comites eſſe ſolent, odii ac calumniae furores generoſo ſane animo erimus contemturi.

§. I.

Veteris Germaniae Regum ac Imperatorum aulam, noſtra inprimis aetate, multi, ſumma quidem cura, explicare anniſi ſunt, et in eruendis ſummis eius officiis omnem paene collocarunt operam. a) Nihilo tamen ſecius, ob temporum obſcuritatem ac teſtimoniorum penuriam, vel

a) Vide, quos ordine ſuo, in prooemio praecedenti, recenſuimus, Scriptores.

riam, vel minima eius pars rite huc vſque potuit illuſtrari. Ita, praeter praecipua quatuor illa, Pincernae, Dapiferi, Mareſcalci, et Camerarii officia, olim, non nunquam certe, et alia in regum aulis viguiſſe videntur munera, quorum nunc prorſus intercidit memoria. Horum e numero in praeſenti producere liceat *Triſcamerarium*, a nullo adhuc, quantum conſtat, officiorum aulicorum Scriptore expoſitum.

§. II.

Vim itaque vocis Triſcamerarii genuinam eruere prima nobis erit cura. Duobus autem vocabulis eſſe compoſitam, vnusquisque facile perſpiciet. Naturali ergo ordine eorum vnum quodque eruere noſtrarum duximus partium. Et quid vocabulum *Tris* ſignificet, recte ſtatuere, labor omnino difficilior videtur. Idem, ſine dubio, fuit Celeberrimo KOELERO ac Latinorum *Tres*. Ita enim: In der Teutſchen Reichs-Hiſtorie (Nürnb. 1736. 4 mai. c. f.) ſub Rudolpho Habsburgico p. 262 ſcribit: Es hat auch der Kayſer Rudolph dem Ertz-Biſchoff von *Embrun, Iacobum,* zu einen Drey-Cämmerer *a. 1276* ernennet, prouocans ad Frat. SAMARTHANOR. *Galliam Chriſtianam, de Archi-Epiſcopis Ebred. p. 276.* Et Celeb. Virum ab iisdem *Samarthanis*, quo hoc ſtatueret, ſeductum fuiſſe, integer, quem nunc dabimus, locus, forſan demonſtrabit. *Tomo* nimirum *I. Galliae Chriſtianae Fratrum* SAMARTHANO-

RVM

RVM *(edit. Pariſ. 1656. fol.) p. 279. No. 49.* haec leguntur verba: *Iacobus Serene ex Praepoſito Ebredunenſi apicem Archi-Epiſcopatus conſcendit, adiiſſe Rudolphum Imperatorem comperitur 1276. a quo confirmationem priuilegiorum obtinet multis officiis ab eodem principe et dignitate* TRICAMERARII *perpetui Camerae imperialis adauctus.* Sed haec deriuatio ac verſio potiſſimum Germanica, noſtro quidem iudicio, omni vera notione deſtituitur, et ipſi repugnant diplomatis Rudolphi Imperat. a nemine, quantum ſcimus, niſi ab *Illuſtri* MARCHIONE DE VALBONAYS, in praeſtantiſſimo opere, cui titulus: *Hiſtoire de Dauphine*, adducti, verba, quae infra dabimus, vt adeo, quo hanc amplectamur ſententiam, adduci haud poſſimus. CAROLO autem DV FRESNE VOX *Tris* eadem eſſe videtur ac *Sub*, dum Triſcamerarium per Sub-Camerarium explicat. In Gloſſario enim ſuo, voce Triſcamerarius, *Triſcamerarius*, ait, *dignitas Palatina*, *Camerarii dignitate inferior.* Sed nec hanc genuinam vocis eſſe indolem, infra patebit, quum officium ac dignitatem Triſcamerarii deſcribemus. a)

C §. III.

a) CAROLO DV FRESNE adſtipulatur quoque *Ill.* MARCHIO DE VALBONAYS *dans l'Hiſtoire de Dauphine Tom. II. p. 14.* Eius, ſine dubio, motus auctoritate.

§. III.

Noſtram itaque nobis ſententiam nunc quoque profiteri liceat. Verſamur autem in ea opinione, vocabulum *Tris* Graecorum eſſe Τρίς, vnde Gallorum *Trés* ortum fuiſſe videtur, quod ſi adiectiuo, vt aiunt, iungitur, ſuperlatiuum in Graecorum lingua ſaepiſſime, et in Gallorum ſemper denotare ſolet, veluti Τρὶς ἄπιστος apud HOMERVM Iliad. I. *infidiſſimus*. *Trés Chretien*, *Chriſtianiſſimus*, ita vt et Triſcamerarius indicet Camerarium Summum. Vt haec ſtatuamus, nos mouent verba Diplomatis Rudolphini, quo Iacobum Archi-Epiſcopum Ebredunenſem ſuum Triſcamerarium creat, quae ſequuntur: a) *Demum ad plenae perpetuaeque libertatis et exemtionis indicium, ſtatuimus et volumus te et quomodolibet tuum ſucceſſorem noſtrum eſſe Triſcamerarium et imperii principem cariſſimum ac Secretarium et Palatii noſtri ſiue Imperialis aulae Conſiliarium ſpecialem.* Ex quibus abunde ſatis patet, hoc Tris-Camerarii munus Sub-Camerario longe eſſe eminentius ac ſplendidius. Confirmare porro noſtram ſententiam videtur Archi-Epiſcopi Ebrudunenſis prae-

a) Integrum hocce Diploma, quod, vt ſupra monuimus, publici iuris fecit *Ill.* MARCHIO DE VALBONAYS *dans l'Hiſtoire de Dauphine Tom. II. p. 13. 14*, infra, appendicis loco, adiiciemus.

praeeminentia hac dignitate aucta, cui autem parum ſplendoris acceſſerit, ſi ſub TRISCAMERARII elogio, Sub-Camerarium intelligere velimus, ac denique locorum ſitus. Ebredunenſis Eccleſia enim in Burgundia ſita erat, vbi Linguae Francicae vulgaris, vnde hodierna Gallorum ſuas traxit origines, perpetuus fuit vſus. Si vel vnquam ſane Gallicam vocis Triſcamerarii verſionem deprehendere nobis licuiſſet; noſtram inde ſententiam maiori firmare robore, ſine dubio, quoque poſſemus. Infra denique plura adhuc in medium proferemus argumenta, ſi de ipſo Triſcamerarii munere ac dignitate nobis ſermo erit.

§. IV.

Nunc quoque *Camerarii* Elogium erit exponendum. Camerarium a Camera dictum, nemo erit, qui facile inficias ibit. Sicuti autem Camerae non vna, apud Scriptores potiſſimum medii aeui, reperiri ſolet ſignificatio; a) Ita etiam plures Camerariorum ſpecies dari, nexu prorſus indiſſolubili ſequi omnino videtur. Nos in praeſenti non ſolliciti erimus de omnibus Camerariorum ſpeciebus, nec illum attingemus Camerarium, qui inter Quatuor Summos Imperii Officiales ſuum

C 2 obti-

a) Harum multas collegit CAROL. DV FRESNE in Gloſſario ſuo, voce Camera.

obtinet locum, et in aula regum Francorum et Carolingicorum potiſſimum celebratur. b) Cum hoc enim, TRISCAMERARII noſtri munus, vti mox patebit, nihil prorſus habet commune, nec noſtrum eſt ab inſtituto alienis, vt ſcriptorum plurimi fere ſolent, delectari.

§. V.

Quum autem, vt ſupra monuimus, a) Camera-

b) Officium Camerarii huius in aula Carolingorum HINCMARVS *Archiep. Rhemenſis, in Epiſtola pro Inſtitutione Carolomanni regis deque ordine palatii, §. XXII. Operum Tom. II. p. 209. ita deſcribit: De honeſtate Palatii ſeu ſpecialiter ornamento regali; nec non de donis annuis militum, absque cibo et potu, vel equis, ad reginam praecipue, et ſub ipſa ad Camerarium pertinebat; et ſecundum cuiusque rei qualitatem illorum ſollicitudo erat, vt tempore congruo ſemper futura proſpicerent, ne quid dum opus eſſet, vllatenus opportuno tempore defuiſſet. De donis vero diuerſarum legationum ad Camerarium reſpiciebat, niſi forte iubente rege tale aliquid eſſet, quod reginae ad tractandum cum ipſo congrueret. Haec autem omnia, et his ſimilia eo intendebant, vt ab omni ſollicitudine domeſtica vel Palatina, in quantum rationabiliter et honeſte poterat, dominus rex, omnipotenti Deo ſpem ſuam indeſinenter committens, ad totius regni ſtatum ordinandum, vel conſeruandum, animum ſemper ſuum promtum haberet.* Adeat, cui placet plura de iſto Camerario relegere, CAROLI DV FRESNE Gloſſarium, voce Camerarius.

a) Vide ſi placet, initium praecedentis Paragraphi.

Digitized by Google

merarium a Camera nomen ſuum trahere, extra omnem dubitationis aleam poſitum eſſe videatur; eam nunc potiſſimum Camerae ſignificationem, quae noſtro, quem in praeſenti deſcribere eſt animus, Camerario, quam maxime conueniat, eruere, nobis curae erit cordique. Cameram nimirum pro Curia Imperiali, in qua iudicia haberi ſolebant, apud medii aeui Scriptores vſurpari, iam iam obſeruauit CAROLVS DV FRESNE. b) Et iudicium Imperatorum aulicum, antiquioribus temporibus, Camerae imperialis elogio fuiſſe inſignitum, multis ſane ſcriptorum teſtimoniis et documentorum exemplis demonſtrant, IOH. FRID. PFEFFINGER *in Vitriario Illuſtrato, Tomo IV. (Gothae 1731. 4to mai.) Libr. IV. Tit. VI. §. 1. n. b. p. 548--552. inprimis 551. n. a.* BVRC. GOTTH. STRVV *in Syntagmate Iuris Publici (Edit. Ienae 1720. 4to) Cap. XXIV. §. 53. p. 1167. ſeq. et in Hiſtoria Iuris Cap. VI. §. XXIX. p. 506. ſeq.* Comprobare quoque hanc denominationem videntur, et quod adhuc reliquum eſt, Iudicii Camerae imperialis nomen, et quae in diuerſas quoque Cameras diuiſa eſt, ſuprema Curia Pariſienſis. Neque adeo a veritatis tramite nos aberraturos perſuaſi ſumus, ſi, a ſolenni

C 3 hocce

b) In praeſtantiſſimo ſuo Gloſſario mediae et infimae latinitatis, voce Camera, pag. inprimis 779. Tom. I. (edit. Francof. 1710. fol.)

Digitized by Google

hocce iudicio ad reliqua Imperatorum in prouinciis iudicia palatina nexum ducentes, ſtatuamus et haec cameras fuiſſe dictas. Ab hac ergo Camerae ſignificatione eum quoque dictum Camerarium, qui in illa ius dicebat, et Triſcamerarium, qui ſupremi iudicis vel conſiliarii munere fungebatur; infra inuictis demonſtratum dabimus argumentis, recenſitis prius ac confutatis aliorum de hoc officio opinionibus.

§. VI.

Expoſita itaque Triſcamerarii voce, demonſtrataque eius genuina indole; et ad eius munus dignitatemque propius vt accedamus, ſcopus, quem nobis praefiximus, iure ſuo nunc poſtulare videtur. Praemittere autem prius lubet CAROLI DV FRESNE et *Ill.* MARCH. de VALBONAYS de hoc officio ſententias easque expendere. TRISCAMERARIVS ait, DV FRESNE hac voce, *dignitas Palatina, Camerarii dignitate inferior. Chartam Friderici I. Imper. an. 1162. apud Diagum lib. 2. de Comitibus Barcinonenſ. cap. 174. ſubſcribunt prae caeteris principibus, Rodulfus Dapifer, Hermannus Camerarius, Bertolfus Triſcamerarius etc., aliam Friderici II. Imp. an. 1244. ap. Goldaſtum, Tom. II. Conſtit. Imp. pag. 6. et Ioannem Noppium, in Chron. Aquisgranenſi libr. 3. n. 1. Willelmus aduocatus Aquenſis, Henricus frater eius Triſcamerarius noſter et fideles noſtri etc.* Hanc Friderici II. Chartam

tam apud Goldaſtum, nec citato loco, nec alibi, deprehendere nobis licuit, quamuis ad vnam omnes, quotquot extant, Goldaſtinarum Conſtitutionum editiones, euoluerimus. In IOH. NOPPII contra opere, cui titulus: Achner *Chronica* (Cöln *1632. fol.*) *Libr. III. No. I. p. 1. Extat*, ſub Rubrica, quae ſequitur, *Pragmatica Sanctio celebris memoriae D. Caroli M. Romanorum quondam imperatoris ac Francorum regis inclyti, fundationem templi et vrbis primaeuam complectens, Dn. Friderici huius nominis I. cognomento Ahenobarbi, et Friderici II. imperatorum Diplomata priuilegiario inſerta.* a)

In nomine ſanctae et indiuiduae trinitatis Amen. Fridericus II. diuina fauente clementia Romanorum Imperator ſemper Auguſtus Ieruſalem et Siciliae Rex.

\- - - - - - - - - -

\- - - - - - - - - -

Ea propter per praeſens priuilegium nouerit tam praeſens aetas, quam ſucceſſura poſteritas, quod Wilhelmus aduocatus Aquenſis, Henricus frater eius Triſcamerarius noſter, et Theodoricus de Orlouesberge fideles noſtri nuntii ciuium aquenſium pro parte vniuerſitatis ciuitatis

a) Caroli M. et Friderici I. Imperat. integrae chartae Diplomate Friderici II. inſertae leguntur.

tatis eiusdem noſtrorum fidelium quoddam priuilegium, Dn. Auguſti Imp. Friderici Aui noſtri memoriae recolendae vniuerſitati praedictae liberaliter dudum indultum noſtro culmini praeſentarunt. etc. - - - - -

Acta ſunt haec b) *Anno Dom. Incarnationis 1244. menſe Auguſto, ſecundae indictionis, imperante domino noſtro Frid. II. glorioſiſſimo Rom. Imp. ſemper Auguſto, Ieruſalem et Siciliae rege. Rom. Imp. eius anno menſe et indictione praeſcriptis.* His equidem documentis ſuam ſententiam comprobare Celeb. CAROLVS DV FRESNE annititur.

§. VII.

Sed vt pace Celeberrimi huius Viri, quae ſentimus, ingenue confiteamur, haec omnia, quae ad firmandam ſuam theſin in medium produxit, teſtimonia, ipſi aut parum aut nihil prorſus ponderis afferre. Litteras quidem Friderici primi, quum DIAGI copia haberi non potuerit, inſpicere nobis non licuit. Aſt ex verborum adductorum poſitu, quem tamen reſpexiſſe videtur Celeb. CAR. DV FRESNE nihil prorſus ſequitur, quum in medio aeuo, omnia, quae ad praecedentiae iura pertinent, non tam accurate fuerint obſeruata, vti omnibus, qui haec ſtudia tractant, ſatis ſuperque notum erit ac perſpectum

b) Haec vltima Diplomatis verba apud citatum Noppium pag. 7. demum deprehenduntur.

ctum. Nec porro definire licet, num citatus ille Hermannus Camerarius, fuerit Summus imperii Camerarius, vel alius ex ordine Camerariorum, ſeu iudicum imperatoriorum, quales nos ſupra deſcripſimus. Inprimis quum a vero non alienum eſſe videatur, quod tempore Friderici I. Camerarii Imp. Summi dignitas ad domum Brandenburgicam peruenerit, a) in qua ea aetate nullus celebratur Hermannus. Alterum vero diploma e NOPPII *Chronico Aquenſi* deſumtum, noſtram potius ſententiam confirmare videtur. Nullus enim Iuris Publici et Germanorum hiſtoriae ſtudioſus facile ignorabit celebratiſſimum illud Palatium Imperatorum, quod olim Aquisgrani floruit, memoria inprimis Caroli M. venerandum, in quo ſine dubio Henricus ille Triſcamerarius, i. e. imperatoris ſummus iudex fuit, licet hoc non vltra coniecturae limites extendamus.

§. VIII.

Accedimus potius ad alteram Ill. *Marcb. de* VALBONAYS opinionem, quam in notis ad celebratiſſimum illud Rudolphi Imperatoris diploma, infra exhibendum, propoſuit. a) Sed ſibi ipſi omnino non conſtare videtur, quam ſit amplexurus ſententiam. Sub initium enim citatarum adnotationum,

D ita

a) vid. *Illuſtr.* MASCOVII Diſſertatio elegantiſſima de Originibus Officiorum aulicorum S. R. I. §. 39. p. 35.

a) v. Ei. Hiſtoire de Dauphiné Tom. II. pag. 14.

ita ſcribit: *La dignité de Chambrier, ou Chambellan, Camerarius, étoit autrefois une de principales de l'Empire. Celui qui la poſſedoit, avoit la garde des ornemens Imperiaux et de meubles du Palais. Il entroit dans les affaires les plus ſecretes, et ſignoit dans le rang des grands officiers.* LE TRISCAMERARIVS *etoit au deſſous de celui ci, comme il paroit par les ſouſcriptions d'un acte raporté dans l'hiſtoire de Diago de Comtes de Barcelone, (Diago lib. 2. ch. 174.)* Rodulphus Dapifer, Hartmannus Camerarius, Bertolfus Triſcamerarius. Sed quum haec, ſine dubio, omnia e CAROLO DV FRESNE deſumſerit Ill. Marchio; B. L. ad ea remittimus, quae §. praecedenti contra hanc ſententiam diſputauimus. Sed e veſtigio ſuam opinionem mutaſſe videtur Ill. MARCHIO. Subiungit enim ſtatim verba, quae ſequuntur: *Rodolphe d'Absbourg avoit fait l'Archevêque d'Ambrun Prince de l'Empire, il lui confera en même tems la dignité de* TRISCAMERARIVS, *ou d'officier principal de ſa chambre. Il ſemble ques ſes fonctions avoient quelque rapport à celle de cet officier appellé en France, Nuntius Camerae, qu'on envoyoit dans les Provinces, avec une autorite presque egale à celle des Ducs. Rien n'eſt plus frequent tant en France qu' en Alemagne, que des pareilles dignitez ſous des titres ſpecieux, dont les fonctions ſe ſont perdues dans*

la

Digitized by Google

la ſuite des temps. Sed Camerae Nuntiorum et Miſſorum Dominicorum munera hic inter ſe permiſcere videtur Ill. *Marchio*. Camerae Nuntii quippe erant, ſi MELCH. GOLDASTO, *in notis ad cap. 1. Ekkehardi Iunioris de Caſibus Monaſt. S. Gall. Tom. I. Part. I. Scriptor. Rer. Aleman. p. 108. (edit. Francof. 1661. fol.)* fides eſt habenda. *Procuratores fiſci ſeu praeſides regni ſubiectis impoſiti, vt regis fiſcum miniſtrarent.* Miſſi contra dominici erant, quos reges Francorum, extra ordinem, in ciuitates et prouincias mittere ſolebant, vt inquirerent in Epiſcoporum, Abbatum etc. adminiſtrationem, geſtorum omiſſorumue rationes exigerent, conuentus iuridicos per prouincias agerent, deſideriis et queſtibus prouincialium, praecipue viduarum et pupillorum, ſatisfacerent. a)

§. IX.

Sed noſtrum nunc quoque erit demonſtrare, neutrum horum officiorum in Triſcamerarium noſtrum

a) v. *Illuſtr.* MASCOVII eruditiſſima *I. P. Principia*, *Lib. IV. c. V. §. 50. p. 264. 65.* vbi et excitatus legitur perrarus ille FRANCISCI DE ROYE, *Anteceſſ. Andegauenſis, de Miſſis Dominicis, eorumque officio et poteſtate, liber, Andegaui 1677. 4.* Congeſſit etiam nonnulla de Miſſis Dominicis lectu ſane digna *Celeb.* SIM. FRID. HAHN in egregio opere, cui titulus: **Vollſtändige Einleitung zur Teutſchen Staats Reichs- und Kayſer-Hiſtorie**, (*Cuius IV prodiere Tomi, Halae et Lipſ. 1721 – 24. 4to mai.*) *Tom. I. p. 137. n. o.*

ſtrum quadrare. Repugnant enim, et quae ſupra §. II. iam adduximus ſaepius citati Diplomatis Rudolphini verba, vbi Triſcamerarii officium diſertis ſane verbis deſcribitur. Nec denique tanti praeſulis, qualis Archiepiſcopus Ebredunenſis tum temporis iam erat, dignitas permittere videbatur, aut fiſcum Imperatoris adminiſtrare, aut miſſorum dominicorum, quorum vtpote vſus iam diu interciderat, officium gerere, vel alio Camerario ſaeculari, vt ita dicam, ſubeſſe; quum nec minoribus clericis canones permitterent, muneribus, quae a ſaeculo nomen trahunt, fungi. Laicis autem, ſi ita loqui fas eſt, ne cederent, ſed locum potius ante illos occuparent, ab illorum arrogantia fuiſſe impulſos, experientia ſemper ſatis ſuperque comprobauit.

§. X.

Quibus quidem praemiſſis, vt et demonſtremus neceſſe erit, quae demum Triſcamerarii fuerit dignitas, et quale munus. Sed ob teſtimoniorum ac documentorum penuriam, et illius dignitatem et officium tam accurate definire ac deſcribere non valemus. Quantum quidem, vt ſupra iam aſſeruimus, ex ſaepius memorati Diplomatis Rudolphini verbis §. III. adductis, et quae maioris illuſtrationis ergo mox repetemus, coniicere licet, TRISCAMERARIVS *fuit Curiae ſeu Aulae imperialis ſummus iudex vel conſiliarius, et eadem obiiſſe munia*, quae olim Comitis Palatii erant, in aula regum Francorum et Imperato-

rato-

ratorum Carolingicorum. Ita enim Rudolphus hoc munus deſcribit: *Demum ad plenae perpetuaeque libertatis et exemtionis indicium, ſtatuimus et volumus, te et quomodolibet tuum ſucceſſorem noſtrum eſſe* TRIS CAMERARIVM, *et imperii principem cariſſimum, ac Secretarium et palatii noſtri ſiue imperialis aulae Conſiliarium ſpecialem.* Et quum Archiepiſcopi Ebredunenſes ab antiquioribus Imperatoribus Romanis iamiam obtinuiſſent poteſtatem creandi tabelliones, a) (i.e. Notarios Publicos Caeſareos,) Comitibus poſtea Sacri Palatii Lateranenſis propriam, et cum his quoque aliquid commune habuiſſe Triſcamerarium, nobis quidem a vero non alienum videtur. Ac licet noſtram de Triſcamerarii dignitate ac munere ſententiam, non pluribus documentorum teſtimoniis, corroborare valeamus;

 magis

a) Verba Diplomatis ſunt: *Sane cum ab olim per inclitae recordationis imperatores et Reges Romanos praedeceſſores noſtros Regalia in ciuitate et Dioceſi Ebredunenſi, Pedagia vtriusque Stratae, telluris videlicet et fluminis, ac monetae cudendae autoritas, iurisdictio plenaria, merum et mixtum imperium, plena, quoad ſe et ſubditos ſuos, tam in perſonis quam rebus, quas tenet ipſa eccleſia, vel alii ſub ipſa, libertas et exemtio perpetua, poteſtas etiam creandi tabelliones, cum pluribus aliis praerogatiuis, gratiis et libertatibus ac immunitatibus ſpecialibus, et iuribus praedeceſſoribus tuis et eorum ſucceſſoribus data fuerint. Nos attendentes.* Sequentibus nimirum verbis priuilegia haec Rudolphus confirmat et auget.

magis tamen ad Archi-Epiſcopi Ebredunenſis dignitatem principalem quadrare, quam *Subcamerarii* vel *Camerae nuntii*, nobis eſt perſuaſiſſimum. Praeterquam enim quod Archi-Epiſcopus Ebredunenſis a Rudolpho Princeps S.R.I. creatus, adeoque in eminenti dignitatis loco eſſet conſtitutus; ipſi potius, e ſaeculi illius genio, conueniebat iura reddere, et negotia ſtatus moderari, quam laicis, qui huius ſcientiae, iis inprimis temporibus, imperiti prorſus habebantur, clericis autem vel vnice propria videbatur. Hanc vnicam addere liceat coniecturam, quam ex parte ſupra §. V. iam attulimus. Habuiſſe olim Imperatores et in Palatiis ſuis prouincialibus ſuos *Camerarios et Triſcamerarios*, qualis fuit §. VI. memoratus Henricus, *Triſcamerarius in palatio Aquisgranenſi*, ac ſucceſſiſſe denique ſequenti aeuo in locum *Triſcamerariorum*, et aulae quidem imperialis conſiliarios ac imperatorum intimos. Sed quum tempore excluſi, haec, prout merentur, perſequi haud poſſimus; aliorum iudicio ac vlteriori perſcrutationi cenſuimus relinquenda.

§. XI.

Nihil itaque adhuc reſtare videtur, niſi vt quaedam de Archi-Epiſcopo Ebredunenſi, et nouae dignitatis ab ipſo impetratae cauſſis, moneamus. Variis nimirum iamiam priuilegiis eccleſiam Ebredunenſem ornauerant Imperatores antiquiores, *Conradus ſcilicet III. an. 1147. et 1151. Fridericus II. an.*

an. 1238. Guilielmus Hollandus, vnus ex Friderici modo citati II. Anti-Caeſaribus, *quum an. 1251. Coloniae ageret.* a) Haec omnia *Rudolphus* noſter non confirmauit ſolum ſed et auxit, Archi-Epiſcopum inſuper S. Rom. Imp. Principem et *Triſcamerarium* b) ſuum creans. Archi-Epiſcopum autem

a) Ita enim *Illuſtr.* MARCHIO DE VALBONAYS, in notis ad Diploma Rudolphi, *dans l'Hiſtoire de Dauphiné, Tom. II. p. 14.* ſcribit: *La Bulle de Rodolphe eſt conforme à celles qui avoient été accordées par les precedents Empereurs, par Conrad III. l'an 1147 et l'an 1151, par Frederic II. l'an 1238. Guillaume de Hollande, qui fut un des ſucceſſeurs de Frederic, étant en Cologne l'an. 1251.* Sed diplomata ipſa non exhibet *Illuſtr.* AVCTOR, ſaltem monens Carolum IV et Sigismundum pares Conſtitutiones in gratiam Archi-Epiſcopi Ebredunenſis edidiſſe, nulla tamen earum allata. *Conradi III.* de an. 1147, et quam infra integram dabimus *Caroli IV.* extant in SAM. GVICHENONI Bibliotheca Sebuſiana olim rariſſima; nunc vero in *Noua Scriptorum ac monumentorum partim rariſſimorum partim ineditorum Collectione*, quae cura CHRISTIANI GOTTFR. HOFFMANNI prodiit, Tom. I. (Lipſ. 1731. 4to,) et prior quidem Cent. I. no. 17. pag. 56, poſterior Cent. II. No. XXXI. p. 232. ſeq.

b) Huius dignitatis, Archi-Epiſcopo Ebredunenſi a Rudolpho Imp. conceſſae, primi mentionem faciunt Fratres SAMARTHANI, in *Gallia Chriſtiana,* loco ſupra §. II. integro adducto, ſed nulla prorſus vel vnius teſtis fide. Quare CAR. DV FRESNE in eruditiſſimo ſuo Gloſſario, voce *Triſcamerarius,* ſolum haec addit: *Scribunt Samarthani, Iacobum Serenum Archi-Epiſc. Ebredunenſem adiiſſe an. 1276 Rudol-*

autem vel vnquam reuera hoc munere functum in aula Imperatoris, tuto aſſere non audemus. Sed ſi coniecturae locus eſſe ſolet, in mera dignitatis praeeminentia ſubſtitit. Et ſicuti noſtra aetate ſaepius Principes et Comites S. R. I. ab imperatoribus conſiliariorum ſuorum intimorum titulos nudos conſequi legimus, quo in ipſorum aulis eminenti gaudeant loco; ita et ſine dubio a Rudolpho I. Archi-Epiſcopus Ebredunenſis, quum ab eo Princeps S. R. I. crearetur, *Triſcamerarii* titulum, ea de cauſſa obtinuit, vt, quoniam ea dignitas, illis temporibus aulicarum ſumma fuit, hacce ornatus, multis aliis Archi-Epiſcopis ac principibus praeiret, c) ac ſi aliquan-

Rudolfum Imp. et ab eo impetraſſe confirmationem priuilegiorum eccleſiae ſuae, et dignitate Triſcamerarii perpetui Camerae imperialis adauctum. Et vel ſolam quoque *Samarthanorum* auctoritatem ſecutus videtur Celeb. KOELERVS, loco eodem §. exſcripto. Permultum itaque debemus *Ill. Noſtro* MARCHIONI DE VALBONAYS, quod, in Praeſtantisſimo ſuo opere ſaepius citato, integrum Rudolphi diploma, quo hac dignitas nititur, publici iuris fecerit, quoniam exinde illius genuina indoles ſole meridiano clarior patet. Ac ſane ſi cognitum fuiſſet hoc diploma *Cel.* KOELERO, non dubitamus quin certiora de eminenti hac dignitate ſtatuerit.

c) Quemadmodum olim Archi-Capellanus in aulis regum Francorum et Carolingicorum, ſiue Epiſcopus eſſet ſiue Abbas aut Presbyter ſaltem, nihilominus in Conciliis etiam principem ante Epiſcopos locum habebat. v. *Illuſtr.* MASCOVII Principia Iuris Publici Lib. III. C. VII. §. X.

aliquando in aula Imperatoris ipſum aut eius ſucceſſores verſari contingeret, primum occupare poſſint locum, cuius clerici omni aeuo fuere ſtudioſiſſimi. De hoc denique Iacobo, qui hanc dignitatem Rudolpho noſtro debet, adhuc memorant, licet iterum ſine vllius ſcriptoris teſtimonio, SAMARTHANI, *in Gallia Chriſtiana, (Edit. Pariſ. 1656. f.) Tom. I. p. 279. No. 49.* Interfuiſſe illum quoque inaugurationi Caeſaris, cum Biſontino et Rauennate Archi-Epiſcopis, Lauſannae ad lacum Lemanum, ac paulo poſt naturae debitum ſoluiſſe an. 1286. Sed, omni diligenti inueſtigatione inſtituta, nec apud vnicum Scriptorem deprehendere datum fuit, vel vnquam Caeſarem (i. e. Rudolphum I.) Lauſannae fuiſſe inauguratum. Cuius ergo haec fide ſcribant SAMARTHANI, aliorum ſane iudicio cenſemus relinquendum.

§. XII.

Memoriam autem huius a Rudolpho I. conceſſae dignitatis quam maxime ſanctam ſemper ſeruaſſe videntur Archi-Epiſcopi Ebredunenſes. Vigere enim adhuc in eorum titulis *Triſcamerarii*, vel vt nunc ſcribi ſolet, *Tricamerarii* elogium, teſtatur libri, in his terris quidem rariſſimi, titulus, qui ſequitur: *Concilium Prouinciale Ebreduni habitum ab Illuſtriſſimo et Reuerendiſſimo Domino* D. PETRO DE GVERIN DE TENCIN, *miſeratione diuina Archi-Epiſcopo Principe Ebredunenſi, Sancti Romani Imperii et Tricamerario, Throno Pontificio Aſſiſtente, Regi ab omnibus conſiliis, Anno 1727. menſibus Auguſto et Septembri, Gratianopoli 1728. fol. min. 1 Alph. 11 pl.* Sicuti autem rationem ſatis

 ſuffi-

ſufficientem reddere non valemus, quare recentiori et noſtra aetate *Tricamerarius*, non *Triſcamerarius*, vti diplomata Rudolphi I. et Caroli IV. loquuntur, ſcribatur Archi-Epiſcopus Ebredunenſis; ita nec coniectura quidem aſſequi licet, quam ob cauſſam Gallicam huius tituli verſionem deprehendere non datum fuerit; quum tamen in iam citato libro multa reperiantur acta publica Gallico ſermone ſcripta, quae titulum Archi-Epiſcopi prae ſe ferant, nunquam tamen *Triſcamerarii* elogio ornatum. a) Interim autem vel ſolae horum titulorum, Principis ſcilicet S.R.I. et *Triſcamerarii*, reliquiae, Gallis documento eſſe poſſunt ſane certiſſimo, viguiſſe olim in his terris Romani imperii maieſtatem. Et mirandum ſane quod adhuc iis vti ſuis Archi-Epiſcopis permittant, quum alias omnem prorſus memoriam iuris, quod Romanorum Imperatores quondam in has prouincias exercuerunt, extinguere conentur.

§. XIII.

Sufficiant haec pro virium modulo et temporis breuitate. Quod ſi praeſens Diſquiſitio vel nullum prorſus praeſtare queat vſum; teſtimonium tamen omni exceptione maius perhibere poterit, quam ſtudioſe Rudolphus I. adhuc, et ſequentium imperatorum nonnulli, ſeruare anniſi fuerint iura in Burgundiae regnum. Coronidis

a) Vnicus tamen adhuc coniecturae locus ſupereſſe videtur, duplicem nimirum ſubeſſe rationem, vnam aulae Gallicae forſan arcanam, quae non permittat Archi-Epiſcopis in ſua lingua hoc vti titulo, alteram, quod Galli, priſtinam huius officii indolem, pro more ſuo, ignorantes, Callico idiomate exprimere non valeant.

ronidis nunc loco et integrum, quod ſupra promiſimus, adiiciemus Rudolphi I. Diploma, et Caroli IV. Auream Bullam, qua Priuilegia Ebredunenſi Archi-Epiſcopo conceſſa, confirmauit et auxit, quoniam et *Triscamerarii* mentionem facit, et multa continet memoratu digna, quae B. L. forſan non iniucunda erunt.

Inſcribitur autem prius

BVLLA

RVDVLFI I. qua Archi-Epiſcopo Ebredunenſi priuilegia ſua confirmat, ipſumque ſuum TRISCAMERARIVM *et S. R. I. Principem creat.* Extat in *Hiſtoire de Dauphiné, Geneu. 1722. fol.* (cuius eſt auctor *Ill. Dom. Io. Petr.* MORET de BOVRCHENV, *Marquis de Valbonays*, Summi Senatus in Delphinatu Praeſes,) Parte II. No. IX. p. 13. 14.

Rudulfus Dei gratia Romanorum Rex Semper Auguſtus, Venerabili Iacobo Ebredunenſi Archi-Epiſcopo Principi et TRISCAMERARIO *ſuo cariſſimo, gratiam ſuam et omne bonum.* Praeclara tuorum praeſtantia meritorum, qua etiam Romani imperii cultum, vt Apis augmentuoſa, deſeruiens, fructuoſus et ſedulus dignoſceris, nos inducit ut te et tuam eccleſiam ſpecialis beneuolentiae munimine proſequentes, eandem eccleſiam in tua et in ſucceſſorum tuorum perſonis condigne complectamur honoribus, et praeſignibus titulis augeamus. *Sane cum ab olim per inclitae recondationis Imperatores, et Reges Romanos, praedeceſſores noſtros, Regalia in ciuitate et Dio-*

ceſi Ebredunenſi, Pedagia vtriusque ſtratae, telluris videlicet et fluminis, ac monetae cudendae autoritas, iurisdictio plenaria, merum et mixtum imperium, plena quoad ſe et ſubditos ſuos, tam in perſonis quam rebus, quas tenet ipſa eccleſia, vel alii ſub ipſa, libertas et exemtio perpetua, poteſtas etiam creandi tabelliones, cum pluribus aliis praerogatiuis, gratiis et libertatibus ac immunitatibus ſpecialibus, et iuribus, praedeceſſoribus tuis et eorum ſucceſſoribus data fuerint. Nos attendentes integrae fidei puritatem, qua tu, nos et Imperium Romanum amplecteris inceſſanter, prout lucidis claret indiciis, et notoriis patuit argumentis; vniuerſas et ſingulas libertates et gratias in eorum priuilegiis comprehenſas, ex certa ſcientia confirmamus, approbamus *et de nouo ad maioris roboris firmitatem, tibi tuisque ſucceſſoribus, denuo ex mera liberalitate concedimus, atque damus vna cum dominio maiori ſancti Clementis Ebredunenſis Dioceſis ad eiusdem eccleſiae tuae capitulum pertinentis, de quo item capitulum nullum alium a nobis in dominum recognoſcit.* Sub interminatione gratiae noſtrae vniuerſis imperii fidelibus tenore praeſentium firmiter inhibentes, ne vlla perſona cuiuscunque gradus, praeheminentiae, conditionis vel ſtatus exiſtat, in te, vaſallis aut hominibus vel poſſeſſionibus, quas hodie tenes, vel in futurum per te, vel per tuos rite poteris adipiſci, quid quam directe vel indirecte ſibi vindicare aut vſurpare praeſumat. Nam te et tuos ſucceſſores, vaſallos et homines, cum hiis, quae tenes aut acquirere

te

te vel alios contigerit in futurum, ad obſequium coronae imperialis volumus ſpecialiter, nulla vnquam perſona interpoſita, retinere. Sicque validum omni tempore, firmum et ſtabile volumus illud eſſe perpetuo, nullo vnquam priuilegio ſeu reſcripto conceſſo forſitan vel inpoſterum concedendo contra hoc, vel priuilegiorum continentias valituro: *Demum ad plenae perpetuaeque libertatis et exemtionis indicium, ſtatuimus et volumus, te et quomodolibet tuum ſucceſſorem noſtrum eſſe* TRISCAMERARIVM *et Imperii Principem Cariſſimum ac* SECRETARIVM, *et Palatii noſtri ſiue imperialis aulae* CONSILIARIVM SPECIALEM. Nulli ergo omnino hominum etc. *Datum apud Nurimberg ſecundo Kal. Februarii, anno milleſimo ducenteſimo Septuageſimo ſexto. Regni vero noſtri anno tertio.* Sequitur nunc

BVLLA AVREA a)

CAROLI IV. Imperatoris in gratiam Archi-Epiſcopi Ebredunenſis, quam ex Cartulario Eccleſiae Ebredunenſis produxit Celeb. SAMVEL. GVICHENON, *in Bibliotheca Sebuſiana olim* rariſſima, nunc vero *in Noua Scriptorum ac monumentorum, partim rariſſimorum partim ineditorum Collectione, quae cura* CHR.

E 3 GOTT-

a) De Conſtitutionibus imperatorum, quae ab appenſis ſigillis eorum aureis aut argenteis, plumbeis vel cereis, Bullarum Aurearum vel Argentearum nomine vulgo inſigniri ſolent, prae caeteris notari meretur HENR. GVNTH. THVLEMARII *Commentatio de Bulla Aurea, argentea, plumbea, et cerea, (Heidelb. 1684. 4. et auctior Francof. 1697. fol. c. fig aen.)*

Digitized by Google

GOTTFR. HOFFMANNI prodiit Tom. I. (Lipſ. 1731. 4.) publici iuris iterum facta, Cent. II. No. XXXI. p. 232. ſq. b)

In nomine ſanctae et indiuiduae Trinitatis feliciter, Amen.

Karolus diuina fauente clementia, Romanorum Imperator, ſemper Auguſtus, et Bohemiae Rex, ad perpetuam rei memoriam. Inter glorioſas reipublicae curas, quibus imperialis Eminentia pro ſuorum quiete fidelium aſſidue ſe dignatur exponere; inter illa ſollicitudinum Imperialium quotidiana ſtudia, quibus noſter animus frequenter diſtrahitur, illa Nobis eſt cura praecipua, ad illum ſedulum deſtinamus affectum, qualiter ſanctam Matrem noſtram reuereamur eccleſiam, et dignis piae deuotionis fauoribus complectamur. Hoc autem tunc Nos exequi rite perpendimus, dum ſingularum quidem Eccleſiarum et Eccleſiaſticarum perſonarum libertates et iura intacta ſeruamus et liberalibus Imperialis Magnificentiae gratiis gratioſius adaugemus. Hinc etenim et Regem ſupremum, per quem *Regnum nobis et Imperium orbis* eſt creditum, deuote recognoſcimns, et ſacri Imperii gloriam virtutum operibus praecipuo quodam reddimus praeconio glorioſam. Sane pro parte venerabilis *Guilelmi, Ebredunenſis Archi-Epiſcopi noſtri, et Sacri Imperii Romani* TRISCAMERARII, *Principis*, et deuoti dilecti, Maieſtati noſtrae fuit humiliter ſupplicatum, vt, *cum ſua Ebredunenſis Eccleſia Nobis et ſacro Imperio in temporalibus ſit ſubiecta, et ab omnibus temporalibus Dominis per clarae memoriae quondam Imperatorum ac Regum, Praedeceſſorum noſtrorum literas, priuilegia, et gratioſa indulta ſit in totum exempta*, cumque temporalia, ſeu tota temporalitas eiusdem eccleſiae reputetur, et ſit in veritate, inſigni ſacri Romani Imperii Principatus exemptionem et Principatum huiusmodi innouare, approbare et de nouo conferre et concedere de Imperiali Maieſtate dignaremur. Nos igitur ipſius Archi-Epiſcopi iuſtis et deuotis precibus tanto dignati ſumus benignius fauo-

b) Idoneum forte erit et hocce diploma eorum refellere ſententiam, qui vulgo ſtatuunt, neglexiſſe, quid quod alienaſſe prorſus Carolum IV. Imperii iura in Burgundiae regnum.

fauorabilem adhibere conſenſum, quanto euidentius ipſius merita, fides eximia et intemerata ſincerae deuotionis conſtantia, quibus *ipſe Celſitudinem noſtram et ſacrum Imperium* iugi ſtudio veneratur, vberius promereri noſcuntur. Decernimus, et hoc praeſenti Imperiali edicto perpetuis temporibus ex ſcientia certa ſtatuimus de plenitudine imperatoriae poteſtatis, *vt praedictus* ARCHI-EPISCOPVS EBREDVNENSIS, *ſuique ſucceſſores, perpetuo Archi-Epiſcopi Ebredunenſes reputentur, cenſeantur, et ſint realiter, ſicut ſunt, in veritate noſtri et S.R. I.* PRINCIPES SPECIALES. a) Temporalitas quoque eorum ſeu quaeuis temporalia eiusdem eccleſiae reputentur, cenſeantur, et ſicut realiter prout ſunt et fuerunt hactenus, ſpecialis noſtri et ipſius *imperii principatus*. Nos quidem Archi-Epiſcopum Ebredunenſem, qui nunc eſt, et qui pro tempore fuerit, nec non praedictam Eccleſiam vtpote inſignes Principem et Principatum noſtrum, et ſacri Imperii *ab vniuerſis et ſingulis Dominis temporalibus, cuiuscunque praeeminentiae, dignitatis, conditionis aut ſtatus exiſtant, et eorum Iurisdictione, poteſtate ſeudiſtinctione ex certa ſcientia, authoritate imperiali liberauimus;* et in omnibus ac per omnia liberamus, exemptosque liberos cenſeri et eſſe volumus, et in nullo prorſus haberi obnoxios, aut adſtrictos huiusmodi Saluagardiae et protectionis noſtrae *Imperiales Executores et conſeruatores perpetuo Venerabiles, Taurinenſem, Dignenſem et Carpentoratenſem Epiſcopos, Principes et deuotos noſtros dilectos*, et eorum quemlibet dicto Achi-Epiſcopo damus, et authoritate, qua ſupra, cum plena poteſtate transgreſſores, inuaſores et tubatores dictorum Archi-Epiſcopi et Eccleſiae, ſuorumque hominum bonorum et libertatum, poſſeſſionum, et iurium, per ſe, vel per alium, ſeu alios puniendi et coercendi, poenas exigendi atque leuan-

a) Quare autem hic loci Carolus IV. Triſcamerarii titulum omittat, quum tamen ſupra, in eodem hoc inſtrumento, illius extet memoria, non aeque conſtare videtur; niſi quod forte huius Imperatoris aeuo ipſa muneris illius ratio in deſuetudinem iamiam abiit, et principis honor longe eminentior fuit habitus.

Digitized by Google

leuandi, aliaque omnia et ſingula faciendi et exequendi, quae in tabulis ſunt, vel fuerunt oportuna; tenore praeſentium deputamus. Volentes inſuper, et eadem authoritate, de Imperialis etiam poteſtatis plenitudine ſtatuentes, *vt in Terris et Iurisdictionibus, quae ab Ebredunenſi Eccleſia a quibuscunque intra ſacrum tenentur et recognoſcuntur Imperium; ad Archi-Epiſcopum praedictum recurſum prompte fuerit, tanquam ad ſuperiores proprios per viam appellationis et alia legitima iuris remedia,* liber poſſit haberi curſus; et Archi-Epiſcopus ipſe, qui eſt, et pro tempore fuerit, pro defenſione Eccleſiae ſuae, ac bonorum, poſſeſſionum, iurium et libertatum earundem, ac ipſorum recuperatione, ex iuſtis et legitimis cauſis, quotiens opus fuerit, bellum indicere et proſequi, ac in toto Imperio arma portare valeat, atque poſſit, et iurisdictionem temporalem, vbicunque ipſum et dictam Ebredunenſem Eccleſiam illam conſtat habere, ac etiam iuſto titulo in poſterum obtinebit, criminaliter, et cuilibet libere exequi, per ſe vel alium, ſeu alios, quos ad haec duxerit ſtatuendos, contradictione vel impedimento cuiuspiam non obſtante. *Statuimus inſuper et ſancimus, vt Archiepiſcopus Ebredunenſis Eccleſiae non poſſit, nec debeat, coram quouis alio, quam coram Nobis ſeu ſucceſſoribus noſtris Imperatoribus et Regibus Romanorum, ſeu imperiali eorum iudicio trahi, vel conueniri, vel quomodolibet iudicari.* Quidquid contra hoc factum fuerit, eo ipſo carere viribus decernentes. Nulli ergo omnino hominum etc. *Signum Sereniſſimi Principis et Domini Caroli IV. Romanorum Imperatoris inuictiſſimi, et glorioſiſſimi Bohemiae Regis. Teſtes* huius rei ſunt: Venerabilis *Armeſtus*, Archi-Epiſcopus *Pragenſis; Ioannes* Glomacenſis, *Theodoricus* Mindenſis Epiſcopi; Illuſtres *Barneym* Stetinenſis, *Henricus* Magnopolenſis, *Botro Fallerem*, Bergenſis, *Ioannes* Tyeſtini Duces; nec non ſpectabiles *Burchardus, Burgrau. Magdeburgenſis, Magiſter Curiae Imperialis, Albertus* de Archalt, et *Iacobus* de Fürſtemberg Comites, et alii quam plures, praeſentium ſub *Imperiali noſtrae Maieſtatis ſigillo teſtimonio* literarum. Datum *Prag. a. Dom. 1350. Indict. 7. 14. Kal. Mart. Regnorum noſtrorum a. II. Imp. vero II.*

* * *

BIBLIOTECA NAZ. ROMA